Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg

NÜRNBERG

Bibliographische Daten

Titel:	Hartmann Schedel: Liber chronicarum – Nürnberg, STN, Cent. II, 98
Signatur:	Cent. II, 98

Die Nutzung der Digitalisate von gemeinfreien Werken aus den Sammlungen der Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg ist gemäß den Bedingungen der Creative-Commons-Lizenz Public Domain Mark 1.0 uneingeschränkt und kostenfrei erlaubt.

Im Sinne guter wissenschaftlicher Praxis wird gebeten, bei der Verwendung von durch die Stadtbibliothek im Bildungscampus überlassenen Digitalisaten stets die Quellenangabe in folgender Form zu verwenden: Stadtbibliothek im Bildungscampus Nürnberg, [Bestandssignatur + Blatt/Seite]

Im Interesse einer laufenden Dokumentation und der Information für Benutzerinnen und Benutzer erbittet die Stadtbibliothek die Überlassung von Belegexemplaren oder Sonderdrucken von Veröffentlichungen, die aus der Benutzung von Handschriften und anderen Medien in den historischen Sammlungen der Stadtbibliothek hervorgegangen sind. Sollte eine Abgabe nicht möglich sein, wird um Mitteilung der bibliographischen Daten der Publikation gebeten.

Semiramis Nini magni Assyriorum regis uxor Anno a natiuitate abrahe duodecimo / Cum eius maritus morte sublatus fuisset / regnum suscipiens regnauit annis 42 / Cum ninus decessisset relicto impubere adhuc filio Niniact uxore Semiramide / et cum iuuentula esset / et eius unicus filius Ninias puer / non estimans tutum esse imperium tam grande filio tenello committere / Ipsa ut erat animo ingenti quodam astu muliebri excogitata fallacia / Hec enim immaturo puero nec ausa tradere imperium: nec ipsa imperium palam tractare / tot ac tantis gentibus vix parentibus uni viro: nedum femine parituris / simulat se pro uxore Niniam filium: pro femina puerum. Nam et statura utriusque mediocris: et vox pariter gracilis. et forma liniamentorum equalitas, matri ac filio similis. Igitur brachia et crura uelamentis / tiara caput tegit / et virorum more incedere cepit: Eodem ornatu / et populum vestiri iubet / ne nouo habitu aliquid occultare uideretur / Que morem vestis exinde gens uniuersa tenet / Sic primis initiis sexum mentita puer credita est / et femina puerum simulans maiestate regia accepta fuit / Magnas deinde res gessit / quarum amplitudine / ubi inuidiam superatam putat: que sit fatetur: queue simulasset. Nec metuit omnibus aperire quod esset femina / Nec hoc illi dignitatem regni ademit: sed admiracionem auxit / quod mulier non feminas modo virtute: sed etiam viros anteiret. Hec babiloniam condidit vel ampliauit: murumque urbis cocto latere circumdedit: harena pro bitumine interstrato / ut perhabita ostendunt / Multa alia preclara huius regine fuere. Ad postremum cum concubitum filii petisset ab eodem interfecta est cum duos et quadraginta annos post Ninum regno potita.

Ninias qui a quibusdam Zameis et Ninias scribitur: Magni Nini ex Semiramide filius Quartus assyriorum rex / Anno quinquagesimo tercio Natiuitatis abrahe / post Semiramidem matrem / quam ipse obtruncauerat Assyriis regnare cepit: et regnauit annis 38 / Is contentus elaborato a parentibus imperio: belli studia deposuit / et veluti sexum cum matre mutasset, raro a viris visus in feminarum turba consenuit: Eo tempore apud Cretam regnauit Ceres primus indigena Et ab eo Crete Creta dicta est: Quem aiunt unum Curetarum fuisse: a quibus Iupiter absconditus est et nutritus / hi Gnoson ciuitatem in Creta condiderunt et Cybeli matri templum: –

Arius qui et Aralius dicitur Quintus Assyriorum rex post Niniam Anno a natiuitate ysaac vigesimo primo regnare cepit / Et regnauit annis 30.
Cum ista tempora Abraham ex ancilla agar generat hismael / a quo hismahelitarum genus / Ismahelem autem filium abraham domo etatis sue octuagesimo ex agar egyptia Sare ancilla genuit / hismahelite postea agareni: et postremo sarraceni dicti sunt: Sara enim abrahe uxor (ut scriptura precantur) cum non haberet liberos dixit ad abraham maritum suum / Ingredere ad ancillam meam agar / si forte ex ea suscipias filios: Quo facto statim concepit: post hec natus est Ismahel: quem primitus Sara tanquam proprium filium diligebat et principatus heredem / Sed Isaac sibi nato ab eius amore declinauit. Ideo suasu eius cum matre eius in aliam regionem missus / quod cum ad etatem peruenisset Agar mater eius ei Egiptiam coniunxit / ex qua duodecim filios reges procreauit: Qui omnem terram ab Euphrate ad mare rubrum tenuerunt: –

Posteri Reges Assyriorum exempla precedencium secuti: responsa gentibus per internuncios dabant / Imperium autem Assyrii qui postea Syrii dicti sunt annos MCCC tenuere. Postremus apud eos regnauit Sardanapalus vir muliere corrupcior ut infra in sequentibus patebit: –

Sol gentilium deus

Solem primum Iouis filium et Cimerie germanum floruisse Tullius dicit: virum utique insignem ac splendidum hominem et ingentis regiique animi preclarum / Quem ob ingentes virtutes cum claro nomine declararunt. putabant enim veteres a Nembroth gigante seducti primam rerum causam ignem esse / et propterea illi nobilius nomen Sole dare non poterant: seu quod eum celestem putarent hominem / seu dominum e celo venisse racione profunditatis ingenii: –

Diana prima dea.

Diana prima dea Solis soror / et Iouis primi filia / et ipsa hac tempestate in precio fuit / De qua Tullius ubi de natura deorum scribit multa commemorat / et Iouis ascriptam fuisse aut / Hanc tamen eam non esse dicit quam poete insignem virginitate perpetua voluere / cum legatur hanc ex mercurio liberi et proserpine filio pinnatum concepisse cupidinem: –

Ceres dea frugum

Ceres quoque apud Siculos in precio fuit / cum Siccano Siculorum regi coniugio copulata / tanto ingenio valuit / ut agrorum culturam excogitasset: prima aput Siculos boues domuit: et aratro terram sulcis proscindit: et semina tradidit / Que cum in segetem excreuissent / collectis spicis flabellis seperare / et molis terere / ac panem conficere docuit / cum antea homines glandibus et pomis siluestribus sustentarentur / Ob quod meritum cum mortalis femina esset / eam deam frugum arbitrati sunt / et eam diuinis honoribus extulere: –

regum

Linea Regum Assyriorum

Semiramis.

Ninias.

Ninia

Arius.

hi A

Mamylas



Sparetus



Amyntas.